



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Pavlo II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

A P I O II.

FRANCISCUS GONZAGA Cardinalis ad quem Philelphi II. & Iacobi Cardinalis Papiensis 33. leguntur Epistolæ, Platinam & Raphaëlem Volaterranum in famulitio habuit, scripsitque Epistolam eiusdem Cardinalis Papiensis operibus insertam. Obiit Bononiæ anno 1483.

A P A V L O II.

OLIVERIVS CARAFA Cardinalis, cui Ioannes Franciscus Picus Mirandula, & Ioannes Baptista Mantuanus libros inscripserunt, Iacobum Sadoletum in famulitio habuit, legiturque quædam eius Epistola ad Sabellicum. Obiit Romæ anno 1511. Ibidemque in æde S. Mariæ super Mineruam hoc habuit Epitaphiû.

Oliuerij Caraphæ Neapolitani Ordinis Prædicatorum Protectoris rari exempli depositum, qui vixit annos 80. menses 10. dies 10. Sacri Senatus ornamentum. Obijt 13. Kal. Februarij religiose intrepideque, magno sui desiderio relicto.

IOAANNES MICHAELIVS Cardinalis cuius legitur Epistola ad Sabellicum. Romæ iacet in æde S. Marcelli cum hoc Epitaphio.

Ioanni Michaëlio Patrino Veneto, Episcopo Vicentino, S. Angeli Cardinali, ac Patriarchæ Constantinopolitano, Pauli 2. Pontificis Maximi nepoti, qui in rebus arduis Senatorijs maximè, eloquen-

tiâ, integritate, eminentique ingenio præstans, ab Innocentio 8. in
 Castris contra Ferdinandum Neapolitanum Regem Legatus, pa-
 cem in magnam Italiæ quietem composuit, Obijt anno 1503.
 die 10. Aprilis, ætatis vero suæ anno 37.

 A SIXTO IV.

RAPHAEL RIARIUS Cardinalis cuius legitur ad
 Erasmum Epistola. Obijt Neapoli anno 1521. Ro-
 mæque iacet in æde Sanctorum Apostolorum cum hoc
 Epitaphio.

Raphaëli Riario Cardinali Episcopo Ostiësi. S.R.E. Camerario.

 AB INNOCENTIO VIII.

ARDICINVS DE LA PORTA Episcopus Olmut-
 ziensis in Moravia & Cardinalis, Epistolam quæ apud
 Ciaconum extat ad Innocentium 8. dedit, cum purpu-
 ram nil moratus, Diui Benedicti regulæ plurimâ sæculo
 salute dicta in Monasterio Montis Oliueti nomen de-
 disse. Romæ iacet eidemque in Basilica Vaticana Epi-
 taphium hoc positum est.

*Ardicino de la Porta, Ardicini Cardinalis Nepoti Episcopo
 Alerienti, Iuris utriusque peritissimo, Conciliatori Mathie Hun-
 gariæ Regis cum Federico 3. Augusto, gratiarum, Iustitiæque re-
 ferendario & signatori sedente Sixto 4. & Innocentio 8. & ab hoc
 sponte ob merita Presbytero Cardinale electo, qui vixit annos 59.
 decessit sub Alexandro 6. ab salute nostra 1493. pridie No. Nouem-
 bris. Domestici Clientes heredes, facello ornato monumentum hero-
 rari exempli posuerunt.*

ANTONIOTVS PALLAVICINVS Ge-
 nuensis, Cardinalis & Episcopus Auriensis, cuius le-
 guntur Epistolæ ad Perrum Caram. Obijt anno 1507.